DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
VENÆ-SECTIONE
ET DE
USU AC ABUSU EJUS IN PRAXI MEDICA.
QUAM
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris
D. FRANCISCI VAN OUDENDORP,
HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ PROFESSORIS.
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*,
& *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè, ac legitimè conſequendis,
Eruditorum Examini ſubjicit
JOANNES MICHAEL DALY,
HIBERNUS.
Ad diem 30. Martii 1751. hora locoque ſolitis.

Sanguinem, inciſâ venâ, mitti novum non eſt; ſed nullum pene morbum eſſe, in quo non mittatur, novum eſt.
A. CORN. CELSUS.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GEORGIUM WISHOFF, 1751.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

VENÆ-SECTIONE

ET DE

USU AC ABUSU EJUS IN PRAXI MEDICA.

Cum in Medicinâ nullum hoc tempore univerſalius invaluerit Remedium, nec aliud in plurimis, iisque aleæ pleniſſimus morbis efficacius longo uſu comprobatum ſit, quam Venæ Sectio: non aliud denique reperire ſit medendi genus, quod graviores inferat noxas præpoſtere uſurpatum, opportune adhibitum uberiora largiatur commoda; Hanc ideo, præ cæteris, in tantâ rerum varietate, pertractandam

 ſu-

ſuſcepi materiam, ut dum Academicis ſatisfacere legibus conarer, proprio quoque, in futurâ olim praxi, emolumento cum maximè conſulere non negligerem.

Mirari equidem ſubit tot omni ævo ſurrexiſſe Venæ Sectionis oſores infenſiſſimos, tot ex adverſo ejusdem laudatores immodicos, nec incelebres utrinque Auctores. Illi eam, ut exitialem carnificinam, ubique damnantes, hi contra, ut Panaceam, omni præconiorum genere celebrantes, in rebus ſanè non tenuerunt modum, & in utramque partem, præjudiciis abrepti, haud rarò peccârunt. Enimvero ſic comparatum eſt cum optimis, quotquot habet Medicina, adverſæ valetudinis præſidiis, ut quod prudenter & tempeſtivè adminiſtratum ægro ſanitatem conciliat, idem temerè exhibitum non infrequenter mala gignat immedicabilia. Hinc eſt quod opium, quod Cortex Peruvianus, quod Antimonium (ut alia plurima taceam eximia Medicamenta), varias vituperii laudisque viciſſitudines ſubierint, dum litigantes medici ad experientiam quisque ſuam provocarent, & malignitatem criminarentur, vel contra prædicarent efficaciam, prout feliciter aut male in exercitio artis cuique cedebat, ſeu forte præconceptæ quadrabat, repugnabatve Hypotheſi. Omnia medicamenta uſu fieri bona vel mala, poſteritatem admonuit ſapiens experientiâ Hippocrates: *Quæ profuerunt*, inquit, *ob rectum uſum profuerunt, quæ verò nocuerunt, ob id, quod non rectè uſurpata, nocuerunt* (*a*). Si ad hæc venerandi ſenis monita animos attendiſſent poſteriores medici, non toties præcipiti conſilio infamiæ notam optimis remediis inuſſiſſent, nec medicamento ſemel iterumve votis reſpondenti, tamquam ubique parem exitum habituro, miram temere adſcripſiſſent efficaciam. Ne quid itaque partium ſtudio, aut prono, uti ſolet eſſe juvenilis animus, in adamatam hypotheſin affectu, in gravi admodum materiâ à me prolatum exiſtimetur, optimam tutiſſimamque viam ingredi mihi viſus fuero, ſi medicorum, unanimi omnium conſenſu præcellentiſſimorum teſtimonio & auctoritate nixus,

(*a*) Lib. de Arte, §. 7.

nixus, eorum præceptis longâ experientiâ confirmatis firmiter acquievero.

Illos itaque hic appellabimus Artis magiſtros, qui naturam ducem ſecuti, fidos ſeſe ejus miniſtros ubique præbere non erubuerunt, atque aurea in praxi monita, ex ejus ſinu fideliter deprompta, non ſubdolis prognata hypotheſibus, poſteris ſuſpicienda ac colenda transmiſerunt. Hos inter primas ſibi jure merito vindicant, priſcis quidem temporibus clari, Medicinæ parens Hippocrates, ejusque doctrinæ inſtaurator Galenus, poſterioribus ſæculis florentes Sydenhamus atque Boerhavius, qui veteris recentisque quoad V. S. praxeos idonei, ac præjudiciis liberi, teſtes erunt. His potiſſimum præceptoribus ſequentibus pagellis, eâ, quam ipſa rei dignitas ferret, brevitate, conabimur demonſtrare, in Medicinâ faciendâ quàm felix ſæpe V. S. uſus ſit, quam infelix quandoque abuſus eſſe poſſit. Abſcondita autem theoriæ ſubtilis penetralia reſerare omnia, cunctaque in lucem proferre, quæ Anatome, Mechanica, Hydraulica denique ars ratiocinia ſuper hoc themate extulit, nec opis noſtræ eſt, neque ſinerent temporis anguſtiæ ac brevis inſtituti ratio. Pauca tamen generalia præfanda exigit doctrinæ rite inſtituendæ juſtus ordo, atque clarior intellectus.

I. Primarii V. S. effectus tres recenſentur: Primus, iſque manifeſtus maxime, eſt ſanguinis promiſcui per aperturam vaſis evacuatio, atque adeò totius quantitatis ejus diminutio.

2dus. Eſt (A) uberior, celeriorque humorum influxus in ipſam venam pertuſam, (B) arteriam illi reſpondentem, & (C) in vicina vaſa ſanguinem ab eodem arterioſo trunco mutuantia.

3tius. Prioris corollarium, eſt, in eâdem proportione, parcior humorum fluxus ad partes remotiores, ſanguinem per oppoſita vaſa recipientes, quâ abundantius eodem tempore influit in partem ubi ſecta eſt vena, & partes in illius viciniâ poſitas.

II. Poſtremi hi duo V. S. effectus (primus ſiquidem per ſe patet neque probationem poſtulat) licet paulò occultiores, ſen-

ſibusque minus obvii, indubii tamen ſunt, nec operoſæ admodum demonſtrationis indigi. Nam 1mo (A) ſanguis per emiſſarium celerius profluit, quàm per venas liberas & integras antea cor verſus refluebat, proindeque dato tempore plus ſanguinis eas ingreditur. Etenim humores noſtri, cordis vi conſtrictoriâ in arterias projecti, harum vi Syſtalticâ, cum cordis motu reciprocanti, per totum, quà latè patet, vaſculoſum ſyſtema protruſi, eò velocius copioſiusque ruunt, ubi minor reſiſtentia, liberrimum effugium. Duplici autem ſanguis noſter premitur potentiâ intra vaſa coërcitus, parietibus nimirum vaſorum partiumque circumjacentium preſſu; aëre dein ſuperficiem, corporis ambiente & partes æquabiliter omnes comprimente: ubi autem apertâ venâ vis coërcens tunicarum ibidem ſublata eſt, ſolaque ſupereſt, neutiquam alteri æquiparanda, reſiſtentia Athmoſphæræ; ſanguis minorem ibi loci inveniens obicem, illuc velocius ſolitò ruit, & vaſorum niſu conſtrictorio, validâque partium ambientium preſſurâ cogitur proſilire.

(B) Cum igitur demonſtratum maneat ſolitò celerius in venam apertam ſanguinem influere ob minorem ibidem reſiſtentiam, conſequens eſt minus obſtare continuæ illi ſanguinis columnæ, quæ per correſpondentem arteriam advenit, adeoque dato tempore major humorum copia eam ſubibit perfluetque conformiter ad certas Hydraulices regulas (*a*).

(C) Eodem tempore venæ omnes, quæ cum ligatâ & ſectâ commercium habent per varias anaſtomoſes (*b*), celerius in eam ſanguinem transmittunt, quàm ubi libera erat & integra: Quippe ultra ligaturam & emiſſarium, vena proprio ſanguine minus repletur, cum partim per ligaturam intercipiatur cruor, partim per vulnus exeat, minor pro ratâ erit reſiſtentia; ergo vaſa communicantia facilius in eam evacuabunt ſe, ac proindè in partes vicinas ſanguinem ab eodem arterioſo trunco mutuantes copioſior fiet humorum influxus (*c*).

III.

(*a*) Vid. Bellin. de S. M. prop. 1.
(*b*) Vid. Rega meth. med. §. 711, & Bellini ibid.
(*c*) Vid. Euſtachii Tab. 22.

III. Dum præter conſuetudinem major ſanguinis copia eas arterias ſubit, quæ venis ſeſe celerius deplentibus continuæ ſunt, per neceſſarium conſequens juxta eandem proportionem minor humorum quantitas ſubingredietur eas arterias, quæ contrario ortu ad eodem trunco diſcedunt. Hoc omni ratione Hydraulicâ clarius evincunt ea, quæ conſpiciuntur phænomena, dum ſanguis mittitur eo fine, ut nimius ejus verſus caput temperetur affluxus. Etenim pallor ſub genas pedetentim ſubrepens, debilitas & languor ſenſim increſcentes, caligo oculis obvoluta, vertigo, animi deliquium denique, haud obſcure arguunt parcius ſanguinem verſus caput aſcendere, dum ad inferas magis partes per V. S. evocatur. *Expertus ſum*, inquit Harveus cui ante omnes apta erat acies exercitataque in experimentis capeſſendis manus, *ſi arteria cervicalis ex hoc latere aperiatur, ſtatim pulſum alterius cervicalis multum fatiſcere, pariter etiam ſi arteria cruralis altera pertundatur pulſum illico arteriæ oppoſiti cruris plurimum deficere.* Utique hoc fiebat quod, dum arteriam unius lateris apertam, minusque proin reſiſtentem copioſius ſubiret ſanguis, oppoſitam parcius ingreſſus minus eam diſtenderet. Sed idem in V. S. contingere plus ſatis ſupra probatum eſt.

IV. Quemadmodum tres præcipui numerantur Venæſectionis effectus, de quibus jam diſſeruimus, tres pariter ejus ſpecies, in effectibus illis fundatæ, diſtingui ſolent.

Prima ſpecies, primo correſpondens effectui, *Evacuatoria* dicitur, prout ſcilicet Venæſectione tota indiſcriminatim ſanguinis maſſa minuitur.

Altera ſpecies, ſecundo effectu nixa, *Derivatoria* nuncupatur, per quam nimirum major humorum copia verſus partem illam adducitur, ex quâ mittitur ſanguis.

Tertia denique ſpecies, poſtremo compar effectui, *Revulſoria* audit, quæ ſcilicet per oppoſita vaſa fluentem ſanguinem minuit atque aliò avocat.

Huic diviſioni inde data videtur occaſio, quod modò in gratiam totius corporis v. g. febricitantis, plethorici, evacuatio fieret; modò in partis ſingularis commodum v. g.

inflammatæ, plethorâ particulari laborantis &c. ſanguis detraheretur.

V. Priſci medici, licet circulationis Harveianæ ignari, nec eâ, quâ nos felicioribus orti ſæculis, Œconomiæ animalis notitiâ imbuti, ſupra dictos tamen V. S. effectus obſervando didicerunt, & conformiter ad eos *Evacuationem*, *Revulſionem*, *Derivationem* ſtatuerunt. *Revulſionis* nomine eam ſignificabant actionem, quâ ſanguis ad partem aliquam affluxurus vel affluens ad aliam remotiorem contrario ductu avertitur: *Revellenda ſunt ea, quæ quò non oportet vergunt* inquit Hippocrates (*a*). Et Galenus: *longiſſimè à tentatâ parte revellere, nequaquam ad eam trahere convenit* (*b*). Per *Derivationem* autem intelligebant actionem, quâ humores ad ipſam partem affectam aut maximè vicinam copioſius attracti inde evacuantur: *Incipientes phlegmonas*, ait Galenus, *revellendo evacuari expedit; diuturnas verò ex ipſis, ſi fieri poſſit, affectis particulis, ſin minus ex maximè vicinis* (*c*). Atque clarius totam *Revulſionis* ac *Derivationis* Doctrinam exprimit hiſce verbis: *Perpetuum eſt quod ab eo* (Hippocrate) *didicimus incipientem fluxionem ad contraria trahendam eſſe, fixam verò jam in laborante particulâ vacuandam eſſe, vel ab ipsâ particula quæ affligitur, vel à maximè vicinâ.* (*a*)

Atque ex illis, ut alia omittam in laudatis auctoribus paſſim occurrentia teſtimonia, luculentè conſtare arbitror, contra ac nonnullis recentioribus viſum eſt, Hippocratem & diſcipulum ejus Galenum idem plane de V. S. effectibus ſenſiſſe, ac moderni ſentiunt; nimirum per V. S. obtineri ut ſanguis copioſius tendat eò verſus ubi inſtituta eſt, parcius verò eas alluat partes, quæ contrario fluento liquida recipiunt.

VI. Exempla horum omnium V. S. effectuum, prout priſcis medicis intellecti erant, luculenta ſuppeditat ſectio venæ Cephalicæ: *ſanguis detrahatur ex cephalicâ* (inquit Sennertus in cerebri inflammatione) —— *quæ non ſolum revellit, ſed etiam derivat,*

(*a*) Epidem. 6. S. 2.
(*b*) Therap. L. 13. c. 11.
(*c*) De V. S. c. 19.
(*d*) Therap. lib. 4. c. 6.

derivat, & è venis, per quas ſanguis ad caput proximè fluit, evacuat.

Ut hæc Veterum placita clariora evadant, finge tibi 1°. Venam cavam ex hepate oriri; ex Venâ cavâ emergere ſubclaviam, ex hac oriundam Jugularem ſurſum aſcendere. 2°. Sanguinem ex venâ cavâ per jugularem ad caput vehi. 3°. Venam cephalicam ad brachium abeuntem ex venâ jugulari ſupra ſubclaviam originem ducere. Hæc eſt quam Sennertus aliique priſci auctores medici efformabant ſibi motûs ſanguinis & diſtributionis vaſorum, de quibus modò, ideam.

Nec ardui operis eſt in hoc ſyſtemate explicare quâ ratione detractio ſanguinis ex Cephalicâ, Revulſionem à capite atque derivationem ex eo in brachium præſtare queat. 1°. Enim ſanguis, qui infra Cephalicæ cum jugulari nexum adhuc fluctuat, mox iter caput verſus abrumpit, ut in Cephalicam, ubi minorem renixum offendit, copioſius effundat ſe: atque adeo ad brachium derivatus, à capite revellitur. 3°. Alia quoque ex fictitio illo Veterum ſyſtemate intelligi poteſt derivatio, eorum placitis apprimè congrua: Scilicet, ſanguis, qui ſupra Cephalicæ originem jam altius aſcenderat ad capitis confinia, deſtitutus impulſu ſubſequentis infra columnæ, quæ ratione minoris renixûs patentiorisque viæ in brachium declinat, ſanguis ille, inquam, verſus inferiora relabitur, & retrogado curſu ex Jugulari in Cephalicam deſcendit.

VII. Recentiores aliam, ad inventa Anatomica deprehenſumqne ſanguinis circulum caſtigatam, memoratos V. S. effectus explicandi rationem ineunt: Eosdem tamen verè produci uno omnes ore concedunt, nec in hâc re ab Antiquis diſſentiunt. Atque ut in priori exemplo hæreamus: Venæſectio in brachio inſtituta (nihil intereſt an in Cephalicâ veteribus temerè ſic dictâ, an in aliâ quâcunque brachii venâ fiat, delectum enim hic reſpuit ſana anatomia) *Revulſionem* ac *Derivationem* à capite in brachium perficere, ex cognitâ vaſorum diſtributione, facile intelligitur; nimirum minuto ſanguinis renixu atque auctâ ejus velocitate in arteriâ ſubclaviâ, quæ venæ ſectæ continuitate canalis reſpondet, copioſius eò invitantur humo-

humores: *Derivatio* eſt. Portio illa ſanguinis quæ præter morem ſubclaviam arteriam ſubit, Carotidibus & Vertebralibus arteriis, ad caput euntibus, pro maximâ parte ſubripitur: hincque *Revulſio* fit à capite. Inſuper attendendum eſt, minus râ ratione repleri Venam Cavam, quâ ſanguis ex Venâ brachii pertusâ effluit; ſiquidem cruor vulnere exundans jamjamque Venam Cavam ingreſſurus erat; ergo Vena Jugularis ſanguinem à capite revehens, facilius promptiusque in Cavam minus plenam, atque adeo minus reſiſtentem, liquidum ſuum effundit. Hæc ultima derivatio propius eam refert, quam imaginabantur veteres. V. §. VI. 2°.

VIII. Atque ex his, quæ ſat fusè pro inſtituti ratione diſputata ſunt, non ſine voluptate colligere fas eſt, quàm parum abhorreant ea, quæ priſci Medici de V. S. effectibus ſcripto tradiderunt, ab effectis illis, quæ Recentiores, ſcientiâ anatomicâ & cognitione œconomiæ animalis penitius imbuti, per eandem produci deprehendunt: Maxima quippe Doctrinæ diſcrepantia, non tam in ipsâ re, quàm in diversâ ejusdem explicandæ ratione ſita eſſe videtur. Interim hoc minimè diſſimulandum eſt, non aliud fere inſignius ex invento Harveiano in Medicinam redundaſſe commodum, quàm quod plurima ad Venæ Sectionis doctrinam pertinentia Priſcis incognita, confusè intellecta, perperam tradita, Recentiorum induſtriâ maximam partem è tenebris eruta ſint: adeo ut certiores hiſce temporibus poſſideamus, in ſanguinis motu & vaſorum ſtructurâ accuratius cognitis, fundatas leges, quibus in Venæſectione, tum revulſionis, tum derivationis ſcopo celebrandâ, ſecurius dirigimur.

IX. Præter primarios V. S. effectus (§. I.), ſecundarios quoque non paucos, nec minus conſideratione dignos, diſtinguere licet, prout plurimæ, tàm in Solidis, quàm in Fluidis, mutationes per eam produci obſervantur. Itaque non abs re erit illos hic breviter ſummatimque deſcribere, ut iis, quæ de Venæ Sectionis in variis morbis efficaciâ, ſuffragante experientiâ, ſequentibus paginis dicenda ſunt, rationum quoque pondera accedant.

1. Ve-

1. Venæſectio, quatenus evacuatoria, vaſis omnibus, ſi plus æquo ab humorum copiâ diſtracta fuerint, vim contractilem niſumque elaterii reſtituit, dum ſanguinis exuberantem molem intra cancellos redigit.

2. Vaſa minora, tam ſanguinea, quàm ſeroſa & lymphatica, à majoribus, nimio ſanguine turgeſcentibus, compreſſa, liberat & pervia reddit, atque adeò obſtructiones ibidem natas reſolvit.

3. Hinc lymphaticus humor ex ſuis vaſculis, tenuiſſimus in varias cavitates exhalans latex, quin & chylus ex ductu thoracico, in vaſa ſanguifera, procuratâ in iis libertate, celerius & abundantius influet: niſi tamen vaſa plus æquo exinanita conſidant; tunc enim præpediretur potius tenuium humorum reſorptio.

4. Sanguis itaque copioſiori ſero dilutus, de ſoliditate & gravitate ſuâ plurimum deperdet: minus proin reſiſtet actioni cordis & vaſorum, minorque erit ejus impulſûs vis.

5. Ergo Circuitus, Secretio, atque Excretio humorum promovebitur, cum (n. 1.) potentior evadat cordis & vaſorum actio, minor verò (n. 2. 4.) humorum renixus.

6. Simul, in toto corpore minuetur caloris gradus: etenim non aliunde produci videtur in corpore noſtro calor, quàm à mutuo ſolidorum & fluidorum attritu, cum quo conſtanter creſcere, decreſcere obſervatur; Verùm minutâ per Venæ Sectionem copiâ & (n. 4.) denſitate humorum, expeditisque omnibus circulationis viis (n. 2. 5.), debilius renitentur fluida, lentiùs quoque reagent ſolida.

7. Solidorum tonum vimque conſtrictoriam inſigniter mutare ſolet ſanguinis miſſio: hoc tamen diverſimodè fit pro præviâ eorum conſtitutione, pro variâ ſanguinis educti copiâ; Quin & varius ejusdem profluentis impetus, atque ipſe ægri ſitus, ad hanc in corpore mutationem, aliquando conferre obſervantur.

8. In univerſum, ſi ſanguis quoquomodo redundaverit, nec infra mediocritatem educatur, ſolidorum tonus & Syſtaltica vis inde augetur, intenditurque. (n. 1.). Ubi enim ad

debitum volumen redactus eſt ſanguis, Vaſa majora, quæ nimis diſtenta torpent languentque, ad ſolitum redeunt contractionis gradum, & ſimul minora, à compreſſione libera, ſuccis ſuis debitè perfluuntur; quare, cum cuilibet fibræ applicentur ſucci, ad ejus robur & vigorem conſervandum requiſiti, vaſa omnia vegetius agent, liberiusque.

9. Infra mediocritatem detractus ſanguis ſolida relaxat, & inertia reddit, (*a*) Hocque imprimis ex eo dependere videtur, quòd minori copiâ ſanguis ad Cerebrum affluat, minor proinde fiat ſpirituum ſecretio, & lentior eorundem per nervos ad Cor reliquasque partes appulſus. Id vel maximè confirmatur exinde, quod deliquium animi, ſummæ laxitatis argumentum, multò citiùs ingruat ſi æger ſitum erectum ſervet, quàm ſi horizontaliter decumbat; nimirum, quòd, in ſitu erecto, ſanguis per Carotides & Vertebrales arterias ad cerebrum difficiliùs aſcendere queat.

10. Immodicâ autem factâ ſanguinis profuſione, ſolida convelli & ſpaſticè agitari obſervantur; (*b*) Quippe collabuntur tunc vaſa exhauſta, deſinit æquabilis humorum per Cerebri arterias propulſio: languet uno momento cordis actio, moxque iterum, appulſo per venas frigore contractas ad Cor ſanguine, fulminis inſtar ſe violentè contrahit & ſanguinem ſummâ velocitate per vacuas arterias movet: hinc ſpirituum influxus in muſculos celerrimus fit, mox ceſſans, rediturus denuo ubi novo ſanguine irritatum Cor, novam vehementemque contractionem molitur. Hoc in mactatis animalibus quotidiana docet obſervatio.

11. Denique Venæſectio ſcopo revellendi derivandive inſtituta, ſanguinis per vaſa motum variè immutat, & plurimos hinc oriundos producit effectus.

Unde patet, ut Celeberrimi Boerhavii verba uſurpem, *quanto humani generis damno hoc remedium vel ſemper, vel nunquam ad-*

(*a*) Vid. Rega meth. med. Aph. 723.
(*b*) V, van Swieten Comment. T. 1. p. 377.

adhibendum cenſeatur, *ut in Doctrinâ Johannis Babtiſtæ Helmontii*; *& Leonharti Botalli videri poteſt.* (*a*)

X. Pauca hæc generalia, Venæſectionis effectus ejusdemque operandi modum ſpectantia, præmiſiſſe non planè ſupervacaneum exiſtimavi, ut in quibus morbis commendari, in quibus eam reprobari oporteat, dictet ratio; ſeu potius (ſiquidem ab experientiâ ordiri, eâ magiſtrâ uti imprimis Medicum deceat) ut quadantenus aſſequi detur, cur, prout indubitatæ docent obſervationes, V. S. plurimis malis promptam afferat medelam, in quibusdam contrà affectibus infelicem ſoleat ſortiri eventum.

XI. Ex præcedentibus hoc primum & generale dogma deducere licet: Venæſectio κατ' ἐξοχὴν *Evacuatoria* dicta, primarium & maximè appropriatum eſt remedium, ubi ſanguis nimiâ copiâ peccat, & æquilibrium illud, quod ſummum eſt ſanitatis præſidium, ſolida inter & fluida ſublatum eſt. Ergo Plethorico Corpori ſpecificum auxilium ſuppeditat ſanguinis miſſio, nec aliud in arte cognitum medendi inſtrumentum huic ſcopo aptius aſſignari poteſt.

Plethora autem, ſi morbus appellari non debeat, periculoſus ſane eſt, morboque proximus valetudinis ſtatus, in deterius facile iturus, cum nec ampliùs augeri, neque diu idem perſtare poſſit, teſte Hippocrate (*b*). Hinc ſcitè Celſus, *ſi plenior quis*, *ſpecioſior & coloratior ſe ipſo factus videatur*, *ſuſpecta ſua bona habere debet*, (*c*). Et Hippocrates. *Athletarum evexia quæ ad ſummum diſtenſionis evaſit*, *periculoſa* —— *unde talem evexiam ſine cunctatione ſolvere oportet*. (*d*).

Copioſâ igitur ſanguinis detractione, malis hinc oriundis tempeſtivè occurrere expedit, ne vaſa ultra tonum propemodum diſtracta, aucto motu vel rarefactione, ut ſæpe fit, penitus diſſiliant, vel pondere humorum oppreſſa adeo langue-

(*a*) Inſtit. §. 1234.
(*b*) Aph. 3. S. 1.
(*c*) De Medicinâ L. 2. C. 2.
(*d*) Ibid.

gueant, ut conſueta munia peragere detrectent. (*a*)

XII. Multis autem nominibus, præ cæteris evacuantium ſpeciebus, ſeſe hìc commendat V. S.; per hanc quippe rubicunda craſſa ſanguinis pars, quæ maximè incommodo eſt, præcipuè eliminatur, cum per alia evacuantia, ut Vomitoria, Purgantia, Sudorifera, Diuretica, liquidioribus imprimis orbetur ſanguis; Ut taceam ſtimulum per acriora illa medicamenta cordi & vaſis illatum, in tantâ humorum plenitudine nunquam diſcriminis expertem.

Neque vero perſpiratio Sanctoriana aucta; nec Helmontiana illa à cibo & potu abſtinentia, æquè promptum aut æquè tutum hìc auxilium dant: hâc enim methodo ſubtiliſſimi tantum de corpore diſſlantur humores, dum, quod imprimis requiritur, ruber craſſus ſanguis, vaſa diſtendens, vix minuitur; præterquàm quod liquida noſtra, continuo circulo attrita, brevi acrimoniam concipiant, niſi blandus jugiter ſanguini affuſus chylus, eam præcaveat: Igitur jejunio tali, pejus ipſâ Plethorâ malum, Cacochymia gigneretur.

Denique, hoc maximè itulo commendabilis eſt V. Sectio, quod eam inſtituendo ipſius naturæ ductum & conſilium ſequatur ars, nunquam ſalubrior, quàm dum eam ingreditur viam, quam natura monſtrat. Sic videmus in ſequiori ſexu ſanguinem ſuperfluum, aliàs nociturum, quovis menſe per uteri vaſa eliminari; in puerili ætate & in adoleſcentiâ obſervamus nimiam plenitudinem, à ſanguinis copiâ majori, vel à rarefactione nimiâ oriundam, ſalutari narium hæmorragiâ ſæpe feliciter tolli; in virili ætate, per hæmorrhoidalia vaſa profluente ſanguine, varia ſanari aut præcaveri mala. Quàm ſæpe in acutiſſimis morbis oborta narium hæmorragia ſalutem inſperatò attulit? Ut ſilentio prætercam mirum illud quod (*b*) Plinius & (*c*) Proſper Alpinus de Hippopotamo referunt, qui, ipſe ſibi medicus, pertuſâ cruris venâ, importunam plethoram ſolvit. Hinc pru-

(*a*) V. van Swiet. comm. in Aph. 106. 8.
(*b*) Hiſtor. Mundi Lib. 8. Cap. 26.
(*c*) Hiſtor. Ægypt. Lib. 4. C. 12.

prudentes medici, ad naturæ præſcripta ſalutarem artem inſtituentes, ubi corpus nimio humorum pondere oppreſſum languere obſervant, parato remedio V. S. ei nôrunt ſuccurrere: nec raro ita evenit, ut redundanti ſanguine oppreſſæ ac propemodum extinctæ vires unicâ V. S. inſtaurentur ſubitò, pulſus citatior æqualiorque evadat, calor per corpus diffundatur æquabilis, perſpiratio fiat incitatior, omnes denique in integrum reſtituantur functiones.

XIII. Cæterùm, non adeo omnem adimplet paginam hoc auxilii genus, ut in futurum minimè ſolicitos relinquat medicos, ægrorum, uti decet, ſanitati proſpicientes. Scilicet, præſenti quidem plethoræ optimum & neceſſarium V. S. remedium eſt; attamen futuram nequaquam præcavet, quin contrà ad novam generandam corpus reddit aptiſſimum. Etenim iteratis ſæpe Venæſectionibus adeo frangitur virile robur, ut laxitatem fere fæmineam corpus induat, & fluidis ſe facilè diſtendi patiatur: ita ut circa ſolitum evacuationis tempus iisdem fere ſentiant ſe viri premi incommodis, quibus malè habere ſolenr fæminæ inſtante fluxu menſtruo. A Dodartio obſervatum eſt (*a*), ſedecim uncias ſanguinis V. S. detractas, quinque diebus in integrum reſtitutas eſſe. Celeberrimo Van Swieten contigit videre fæminam, quæ ob V. S. ſexagies & amplius intra anni ſpatium repetitam, obeſiſſima facta, paucorumque menſium ſpatio 150 ℔. pondere aucta, tandem ſoluto omni corporis robore in hydropem incidit (*b*). Galenus horum à frequenti V. S. incommodorum probe conſcius, licet id remedii genus audaciſſimè uſurpare ſolitus eſſet, conſuetudinem tamen hanc ſæpius in anno mittendi ſanguinem, reprobare non dubitavit.

XIV. Itaque propenſionem illam ad novam plethoram, quæ poſt V. S. remanet, aliis remediis amoliri neceſſum erit. Hoc autem optime fiet per convenientem diætam ex acrioribus, aromaticis, amaricantibus &c. per exercitia ſenſim aucta; verbo,

(*a*) Hiſt. de l'Acad. des Sciences l'an 1707.
(*b*) Tom. 1. p. 155.

bo, quæcunque ſolida firmare atque adeo minus repletioni obnoxia reddere nata ſunt, hìc in uſum ducenda. Quod ſi conſuetudo, venam ter quaterve quotannis incidendi neceſſitatem induxerit, cave ſummopere ſimul & ſemel à ſolitâ evacuatione abſtineas: tantum quippe valet conſuetudo, ut etiamſi nociva, illi tamen nonnihil indulgendum ſit. Paulatim vincatur conſuetudo illa, intervalla V. S. ſingulis vicibus ſenſim augendo, & quantitatem ſanguinis detrahendi pro ratione intercapedinis minuendo, ut ita præcaveantur illa incommoda, quæ à ſubitâ mutatione naſci ſolent.

XV. In acutis morbis, qui vel purè febriles ſunt, vel aliis ſtipati phænomenis, alia ſortiuntur nomina, non ultimum, inter alia evacuantia, V. S. locum concedendum eſſe ſuadet ratio, experientia docet. Quemadmodum enim natura ſine excretione quâdam inſigni febres profligare rarò obſervatur, ſic ars, naturæ veſtigia pone legens, ſine evacuatione opportunè inſtitutâ, easdem ſanare vix, aut ne vix quidem poteſt. Vehementer autem errant, qui quamlibet febrim, nullo diſcrimine habito, ſolâ ſanguinis detractione, ad carnificinam fere quandoque inſtitutâ, expugnandam eſſe exiſtimant. Natura morborum medicatrix non unam & eandem viam conſtanter affectat; verùm modo hâc, modò illâ longè diverſâ portâ excludere conatur inimicam materiam. (*a*) Et profectò in febrium quarumlibet curatione omne punctum tulerit (judice febrium debellatore Sydenhamo) quâ portâ excludenda veniat materia febrilis qui certò nôrit, Venæſectione v. g., ſudoribus, catharſi, aut ſi qua eſt alia magis adpoſita.

XVI. Cæterum frequens obſervatio docet, in febribus ſponte obortam hæmorrhagiam, ſalutari criſi morbum abegiſſe: verùm cum medico integrum non ſit, ſpontaneis illis evacuationibus ad morbos curandos pro libitu uti, vicariam Venæſectionem cogitur quandoque ſubſtituere, nec infelici plerumque ſucceſſu. Naturæ enim rem ubique permittere, donec ipſa ſponte ſanguinis profluvium moliatur, diſcrimine non vacat;

(*a*) Morb. Epid. Sect. 6. cap. 1.

vacat; quippe ita aliquando evenit, ut natura humorum pondere oppreſſa, atque vehementiâ febris victa, materiæ morbificæ ad exitum præparandæ atque eliminandæ impar, auxilio medici indigeat, qui arte ſuâ partem materiæ febrilis educendo, reliquam facilius ſubigendi naturæ opportnnitatem ſuppeditet. Sæpe etiam in febribus acutis, corpore robuſto, & ſanguinis pleno, impetus circulationis adeo creſcit immaniter, ut metus ſit, ne partem aliquam nobiliorem gravis inflammatio adoriatur, vel, quod pejus priore malum eſt, ne diſſilientibus vaſis ob humores ſummâ velocitate in eorum latera impulſos, & ſubito abolitâ circulatione per partem affectam, gangræna & ſphacelus ingruant. Quæ mala præcavere quidem facilius eſt, quam ſemel nata tollere.

XVII. Infeliciter verò medicinam excolunt, qui febrilem impetum, quantuluſcunque ille ſit, ubique venæ ſectione reprimere conantur, in eo rei cardinem verti, totamque abſolvi curam perperam exiſtimantes, ſi protinus ad naturalem menſuram pulſus reducatur. De hoc abuſu, nondum exoleto, jam olim querebatur Celſus, *Sanguinem incisâ venâ mitti novum non eſt, ſed nullum pene morbum eſſe, in quo non mittatur, novum eſt* (*a*). Sæpe enim (uti ſapiens monuit antiquitas non ratione ducta ſed rerum eventu perſuaſa) optima medicina eſt, medicinam non facere. Febre quippe non raro utitur natura ut plurimos atque pertinaciſſimos ſanet morbos (*b*) ut purum ab impuro ſegreget (*c*), ut obſtructa & tenacia reſolvat, ut varia corrigat humorum vitia, ut ſanguinem in novam diatheſim immutet (*d*). Quæ omnia ut fiant debitus requiritur febris impetus.

XVIII. Ergo nihil inconſultè hic agat Medicus; verùm antequam Venam ſecare in animum inducat, altiùs ſecum cogitare debet atque attentâ mente revolvere, an tanto febris impetu

(*a*) Lib. 2. cap. 10.
(*b*) Idem Lib. 2. cap. 8.
(*c*) Sydenhamus Sect. 1. cap. 4.
(*d*) ———— ibidem.

petu efferatur, ut frænum illi injicere neceſſum ſit. Generalis enim hæc, ex ipſo naturæ ſinu deprompta, in febribus indicatio oculis ſemper obverſari debet, (*a*) Ut ſanguinis commotio intra modum naturæ propoſito congruentem, ſiſtatur; ea nimirum ratione, ut nec hinc plus æquo gliſcat, unde periculoſa ſymptomata inſequi ſolent, nec illinc nimiùm torpeat, quo pacto vel materiæ morbificæ protruſio impediretur, vel ſanguinis, novum ſtatum affectantis, labefactarentur conatus.

XIX. Si ſymptomata febrilia (Calor, Anxietas, Sitis, Vigiliæ &c.) vehementer ægrum affligant, numero & malignitate ſubito increſcant, indicio erunt nimis auctum eſſe febris impetum, atque adeo Venæſectione temperandum: Niſi tamen (quod ex morbi hiſtoriâ, ejusdem ſtadio & ſignis criticis ſedulo indagatis colligere fas eſt) ſymptomata illa gravia, ſubito aucta Criſin præcedant, ut ſæpe fit; tunc enim ſalutaria naturæ molimina Venæ Sectione adeo non ſunt coërcenda, ut contra prudentis Medici ſit ea omni ope adjuvare, atque naturam eò ducere quò ipſam vergere deprehendit.

Certiſſimum autem ſignum immoderati impetûs febris dat Caloris, naturalem excedentis, gradus, thermometro determinandus: Oritur enim in corpore noſtro calor à fluidorum in ſe mutuò, in vaſa, & horum in illa attritu, quoque magis intenſus eſt calor, eò violentiorem ſignificat attritum; Magnus enim calor (*b*) notat vas arctatum, humorem denſum, propulſionem humorum validam & reſiſtentias magnas circa fines vaſorum. Quocirca ubi immodicus calor febrim ſtipat ſummum erit periculum ne ſolida, imprimis teneriora, rarefactione ac impetu humorum deſtruantur. Quod ſi nobiliorem aliquam imprimis partem ingens æſtus occupaverit, augébitur periculum & efficaciſſimo opus erit remedio.

XX. Non aliud autem efficacius eſt medium ad febrilem motum ſedandum, quàm ſanguinis miſſio; per hanc enim pro libitu minui poteſt humorum motus, ad plenariam omnium quietem

(*a*) Sydenhamus Sect. 1, c. 3.
(*b*) Boerh. Inſt. §. 968.

quietem usque. Plurimis atque pulcherrimis experimentis demonſtravit Celeberrimus Hales (*a*) Sanguinis, per vitreos tubulos, vivorum animalium vaſis ſanguineis apertis adaptatos, proſilientis altitudinem & velocitatis momentum minui proportionaliter ad quantitatem ſanguinis effuſi: unde patet ita temperari poſſe ſanguinis, per venam ſectam effluentis, copiam, ut ad juſtam menſuram reducatur febrilis motus. Haud mirum ergo quod de ſe refert Galenus, audaciſſimâ Venæſectione ad animi deliquium usque inſtitutâ, febrim jugulaſſe in juvene robuſto, ſanguinis pleno. Sed cum extremis duntaxat malis extrema competant remedia, niſi vehementiſſima febris ſumma minetur mala, moderata præfertur ſanguinis miſſio, quæ eò usque repeti poteſt donec caloris imminutio & ſymptomatum mitigatio docuerint febrem intra juſtos limites conſiſtere: atque ſemper potiùs quid infra, ſi, ut in difficili re ſolet, anceps incidat dubitatio, ſubſiſtere decet, quàm effuſiore inanitione ægri vires penitus convellere Diſſimulandum non eſt, venæ ſectionem, hoc ſcopo celebratam, palliativi duntaxat remedii vicem exhibere, nec perfectam ab eo ſperandam eſſe curationem; hanc enim, ipſius febris negotium eſſe & opus, ſummi in arte magiſtri agnoſcunt (*b*) Cavendum proin, ne ſic deprimatur vita, ut nulla ſuperſit febris, remaneat tamen lentor & prava ſanguinis diatheſis, per febrem ipſam unicè emendanda.

XXI. *In acutis morbis ſanguinem detrahes*, inquit Hippocrates (*c*) *ſi vehemens morbus videatur, vigeatque ægrotantis ætas, & virium adſit robur.* Quamvis autem in ætate vigente ſolâ ſanguinem mitti voluerit cautus ſenex, (indubiè quia in illâ fere tantùm ætate obſervaverat eum ſponte erumpere) atque in tenellâ ætate, ſenio, & graviditate (gravidas enim (*d*) venâ ſectâ abortiri pronunciat, imprimis ſi major fætus fuerit) ejus uſum interdixerit; poſteriores tamen medici ultra eum

(*a*) Hæmaſtaticks in initio.
(*b*) Vid. Barkers eſſay on the conformity of A. & M. Phyſ. chap. 2 & 3.
(*c*) de ratione victus in acutis.
(*d*) Aph. 31. ſect. 5.

eum audendo, nequidem in hiſce caſibus à venæ ſectione temperant, dummodo ſymptomatum atrocitas & vehementia febris eam exigere videantur: deprehenduntque robuſtum ſenem (*a*), tenerum infantem (*b*), gravidam mulierem (*c*) feliciter quandoque hoc auxilio juvari. Meritò igitur Celſus generatim pronunciat: *Ergo vehemens febris ubi rubet corpus, plenæque venæ tument, ſanguinis detractionem requirit:* Et intereſſe, ait, non quæ ætas ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint &c. (*d*) atque has melius ex venis, quàm ex ipſâ corporis ſpecie aut annorum numero eſſe æſtimandas. Galenus quoque vires ex venarum pulſu metiens, ſanguinem detrahi præcipit (*e*), ſi *pulſus validus ſit & plenus*. Atque hoc indicium venæ ſecandæ, omnes poſt eum medici, tamquam primarium, in omnibus morbis probaverunt.

Copia autem ſanguinis educendi à viribus, ætate, majore minoreve plenitudine, aut rarefactione per calorem ex febre natum, à pulſu denique determinanda eſt.

XXII. *Incipientibus morbis ſi quid movendum videatur, move: vigentibus vero quieſcere melius:* haud contemnendum Hippocratis monitum eſt. Veruntamen cum quovis morbi tempore præter modum ingraveſcere poſſit febris & tantopere ſævire ejus ſymptomata, ut niſi promptiſſimè occurratur, actum fere ſit de ægri rebus; apparet admodum nullum accuratiùs definiri poſſe tempus, ultra quod V. ſectioni nequaquam ſit locus. Quapropter Galenus, licet quo maturiùs inter initia, eò commodiùs ſanguinem mitti profiteatur, monet tamen, in hoc negotio, non tam dierum numeri, quàm gravis morbi, & virium roboris habendam eſſe rationem. *Quocunque enim die mittendi ſanguinis ſcopos in ægrotante inveneris, in eo illud auxilium adhibeto, etiamſi vel vigeſimus ab initio is extiterit* (*f*).

In

(*a*) Vid. Frid. Hoffman. T. 2. S. 1. c. 9. Theor. 4.
(*b*) Sydenh. ſect. 4. cap. 5.
(*c*) Vid. Lommius de cur. febr. contin. S. 1. c. 2.
(*d*) Lib. 2. c. 10.
(*e*) De cur. rat. per V. S.
(*f*) Galen. ibid.

In morbis equidem inflammatoriis per reſolutionem curandis, poſt quatuor dies elapſos V. S. vix amplius prodeſſe poteſt, (quod hic obiter monuiſſe ſatis ſit) quia materia obſtruens jam nimis ſolidata atque vaſis tenaciter impacta expediri nequit: atque tunc ſola optanda eſt blanda ſuppuratio, quam ſemper febris & quidem auctior comitari ſolet; cujus proinde impetus non videtur debere minui. Sed & in hoc caſu, ſi tanta ſit febris vehementia, ut metuas ne ruptis ſubito vaſculis, loco blandæ ſuppurationis, gangræna fiat, ſanguinis miſſione febris ad tale moderamen reducenda erit, quale, ad ſuppurationem requiritur.

XXIII. Cum in febribus generatim ſpectatis, prout eas hucusque unicè conſideravimus, primarius, isque fere ſolus medentis ſcopus ſit, vehementiam febris mitigare, & nimiam refrænare circulationis velocitatatem, non eſt quod angatur & ſolicitus ſit medicus, quo loco inſtitui debeat Venæ Sectio: miſſio ſanguinis, ſive in brachio (qui tamen locus in univerſum præferri ſolet ob ſitûs opportunitatem, venarum amplitudinem, nec non cordis propinquitatem) ſive alibi facta, pariter & ex æquo huic indicationi plenè ſatisfacit. Verum ubi impetus morbi ad caput vergit, (uti ſæpe fit ob minorem remixum vaſorum encephali & ſitum decumbentis horizontalem) neceſſarium tunc imprimis erit capiti proſpicere, & ſanguinem pro virili illinc avertere. Hoc igitur reſpectu V. S. in pede inſtituta præferenda videtur; ſic enim obtinebitur ut arteriæ, aortæ inferioris propagines, in venam apertam ſeſe evacuent celeriùs liberiùsque, atque adeo minor fiat reſiſtentia ſanguini per aortam deſcendentem advenienti; in hanc proin affluentiùs pelletur ſanguis, dum ramos aſcendentes parciùs ſubibit, ſicque revelletur à capite.

XXIV. In febribus quandoque res exigit ut turgens in ventriculo & inteſtinis materia, quæ ructus, nauſeam, vomitum aliaque creat moleſta ſymptomata, dato vomitorio aut purgante medicamento excutiatur. Meritò hìc monet multiplici edoctus experientiâ Sydenhamus, (a) quòd, ſi ægri conditio & Venæ

(a) Sect. 1. c. 4.

Venæ Sectionem & Vomitorium poſtulaverit, ſemper V. S. emetici exhibitionem præcedere debeat; *ne violentis vomendi conatibus vaſa pulmonum rumpantur, vel cerebrum lædatur, affuſo cum impetu ſanguine atque effuſo, adeoque æger apoplexiâ correptus pereat.* Cujus rei exempla aliquot ſemet obſervaſſe teſtatur. Nec inanem eſſe horum malorum metum probat obſervatio illorum phænomenῶν quæ in ipſo vomendi actu contingunt. Cernere enim eſt turgidam & rubicundam fieri faciem, oculos ſanguine ſuffundi, involuntarias exprimi lachrymas, jugulares venas ſanguine tumere, vertiginoſos denique & fere apoplecticos fieri ægros; quæ omnia ſanguinis reditum à capite intercipi demonſtrant.

Eandem cautelam de purgantium uſu ſæpe inculcat cautus vir, ſibique ſtatutum fuiſſe, affirmat (*a*), in quâvis febri Epidemicâ alvum non turbare in principio ſtatuve morbi, niſi V. Sectione præmiſſâ. *Quæ quidem praxeos regula*, inquit ibidem, *ſuſque deque habita aut violata, quamplurimos orco addixit, infantes maximè.* Cautelam hanc pro quâcunque febris ſpecie iterum iterumque repetit (*b*). Eandem quoque praxeos regulam, ex Hippocrate hauſtam, paſſim commendant eruditiſſimi ejus commentatores Martianus & Duretus. Nec mirum: ſiquidem medicamentum purgans, quantumvis lene fuerit, partes tamen ſtimulo ſuo afficiat, atque acres particulas ſanguini inſinuet; hinc major in ſanguine & reliquis humoribus excitabitur tumultus, adeoque febris intendetur, niſi V. S. opportunè inſtitutâ, prius aliquantum depleta fuerint vaſa, & repreſſus humorum motus.

XXV. Ut verò generalia hæc, quæ de V. S. in febribus uſu dicta ſunt, ſingularibus caſibus applicari queant, paucula de febribus in ſpecie, huc pertinentia, diſſerere operæ pretium erit. Atque 1°., ex ſupra dictis (§. XVII.) colligere eſt, quod, cum febris Ephemera omnia mitia habeat, ac citâ criſi curriculum ſuum abſolvat, minimè indigeat V. S. auxilio.

XXVI.

(*a*) Sched. monitor.
(*b*) Ep. 1a. reſp. an. 1679.

XXVI. In febri autem continuâ, quæ quidem naturâ Diariam proximè refert, cum longiùs excurrat motus circulatorii velocitas, atque juſtus metus ſit, ne, diſſlatâ ſanguinis parte fluidiore, reliquus inflammatoriam denſitatem induat, ſimulque per motum & calorem diutius protractum, ſales & olea fiant acriora; verbo, ne ſynochus ſimplex in putrem tranſeat: in hâc, inquam, febris ſpecie largâ V. S. opus erit; cui ſæpe ita auſcultat febris hæc, ſolo fere aucto motu moleſta, ut protinus in totum ceſſet vel plurimùm certè mitigetur. Hujus generis erat febris illa, quam Galenus V. Sectione, ad animi deliquium usque, 3°. morbie die, in juvene robuſto, ita ſubitò extinxit, ut ab adſtante febrim jugulaſſe diceretur. (*a*)

XXVII. In febribus continuis putridis (ſic dictis quod ingens humorum à naturali ſtatu degeneratio eas comitetur) licet, ob atrociſſima ſymptomata, & calorem quandoque intenſiſſimum, major Venæſectionis neceſſitas ſubſit, tamen majori quoque hìc cantelâ opus eſt in ejusdem adminiſtratione (*b*) Prius enim attendendum eſt qualis fiat humorum degeneratio; an in ſpiſſitudinem inflammatoriam tendant, an potiùs vergant in nimiam diſſolutionem fluida: hinc enim fit ut morbus, licet nomine idem, diverſam tamen poſtulet medelam. Nimirum ſi inflammatoria ſanguinis denſitas, pulſus durus validusque, calor ingens, febrim comitentur, medicamenta refrigerantia, atque inter illa palmarium auxilium V. S., requiri palam eſt. Si contrà nulla adſint lentoris inflammatorii ſigna, ſed in morboſam tenuitatem fluida degenerare obſerventur, nec inſignis adeo calor, interim tamen ſubita virium proſtratio atque anomala morbi ſymptomata malignitatem ſubeſſe ſatis demonſtrent; in hâc, inquam, febris putridæ peſſimâ ſpecie Cardiaca, Aromatica penetrabili virtute prædita, Alexipharmaca dicta, præcipui ſæpe uſûs eſſe obſervatio docet; V. S. autem & alia debilitantia obeſſe interdum deprehenduntur. Verum malignæ hæ febres non omnium dierum morbi ſunt, frequen-

(*a*) Meth. med. 11. cap. 4.
(*b*) Vid. van Swiet. Tom. 2. p. 441.

quentioreſque multò ingruunt putridæ inflammatoriæ, quibus ſummum auxilium præbet Venæſectio.

XXVIII. In Variolis, ſi ex ſymptomatum vehementia ſuſpicari liceat eas *Confluentes* fore, ante eruptionem inſtituendam V. Sectionem monet Sydenhamus; In *Diſcretis*, licet per ſe officere V. S. afferat (*quatenus ſeparationem turbat & elevationem tumorum impedit*) convenire tamen eam affirmat, ſi calidum regimen præceſſerit, vel ſecuturi incommoda præcavenda ſint (*a*) Ut verbo rem omnem expediam; ſymptomata vehementia, nimius calor, effreniſque motus febrilis, hic, ut alibi, V. Sectionis neceſſitatem indicant; omnia verò mitia & intra debitum febris tenorem conſiſtentia ejusdem uſu interdicunt.

XXIX. Non adeo univerſalem, in febris ardentis curatione, fuiſſe V. S. uſum, ex eo licet conjicere, quod Celſus, Aetius, Paulus Ægineta, de curâ illius agentes, altum de hoc remedio ſilentium teneant. Aretæus (*b*) monet, multò minus ſanguinis, quàm aliàs exhanriendum eſſe, quia vel minimus hic commiſſus error ad interitum ducit. Hinc in febris ardentis curatione venam ſecari præcipit Boerhavius (*c*) *ſi morbi initium, Plethoræ indicia, inflammationis ſingularis ſigna; calor intolerabilis, rarefactio nimia, revulſio neceſſaria, ſymptomuta urgentia, neque alio remedio facile ſuperanda, hanc exigunt.* Nimirum innuit Celeberrimus Vir non temere, nec quovis indiſcriminatim morbi tempore, uſurpandum eſſe hoc auxilii genus. Si enim, ut in acutiſſimo hoc morbo contingit interdum, immobilis denſusque ſanguis circa vitalia viſcera hærere incipiat, atque ingentem circa præcordia æſtum excitet, dum ſimul extremæ partes membrorum inalgeſcunt, indicio erit, ſanguinem fere omnem in arteriis majoribus collectum eſſe & verſus extremas partes vix ampliùs propelli. Cave igitur, V. S. paucnlum illum profundas ſanguinem, qui ex arteriis in venas

(*a*) De variol. regular. ann. 1667, &c.
(*b*) De cur. merb. acut. L. 2.
(*c*) Aph. 743.

nas tranſire potuit, quo vita, in ſummas anguſtias redacta, unicè nititur. Si autem ſymptomatum gravitas, nullo alio remedio ſuperanda, eam poſtulet (ut ſi dolor pleuriticus urgeat, ingens capitis dolor & æſtus, angina ſuffocans &c.) interim tamen ſigna quædam præſentia periculoſam eſſe ſanguinis miſſionem vel nocituram probabile reddant: In ancipiti hoc ſtatu, monente Celſo (*a*) boni medici eſt oſtendere, quàm nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit: faterique quantus in hâc ipſâ re metus ſit: & tum demum, ſi exigatur, ſanguinem mittere: de quo dubitare in ejusmodi re non oportet: ſatius enim eſt anceps remedium experiri quàm nullum. Itaque in initio morbi, antequam difflatâ per calorem & motum parte tenuiſſimâ, ſanguis immeabilis hærere incipiat, Venæ Sectio utiliſſima eſt; per eam craſſior ſanguinis pars eliminatur; diluentibus & attenuantibus medicamentis locus paratur, eorumque miſcela adjuvatur; & futura inflammatio optimè præcavetur: In reliquo autem morbi decurſu non ſemper prodeſt, nec, niſi habitâ ratione virium & reliquarum circumſtantiarum, quas ſupra nemoravimus, adminiſtranda.

XXX. In febribus intermittentibus, tum vernalibus tum autumnalibus, nocere ſummopere Venæ Sectionem monuit Sydenhamus (*b*). De vernalibus agens aſſerit, quod ſi, Phlebotomia liberiore manu celebrata fuerit (quo tempeſtas ipſa parum cautos facile inclinat) accidat ut auxiliis quibuscunque rebelles factæ, autumnalium diuturnitatem æmulentur. Tertianæ verò autumnales, niſi chirurgi gladiolus eodem tempore quo venam pertundit, ipſam etiam febrem confodiat, in vegetioribus & athteticè cætera valentibus longiſſimè excurrere ſolent; vel, in ætate provectioribus, diutinum cruciatum ipſa etiam mors quandoque excipit. Quod ſi quartanæ autumnales eâdem methodo tractatæ fuerint, pejora inde ſequi incommoda obſervavit. Eandem cautelam inculcat diligentiſſimus obſervator quoad febres continuas ex intermittentibus oriundas, vel in earum caſtra (ſi intermittentes febres epidemicè graſſentur) facile migraturas.

Cæte-

(*a*) Lib. 2. cap. 10.
(*b*) De morb. Epidem. cap. 5.

Cæterum, licet ſanguinis miſſio hìc per ſe noceat ſemper, poteſt tamen caſu interdum prodeſſe, ut ſi in juvenili corpore ſanguinis pleno, vernâ imprimis tempeſtate, periculum foret, ne ſanguis, calore febrili rarefactus, nimis diſtenta vaſa rumperet; vel ingens capitis dolor ægrum affligeret.

XXXI. Hactenus Venæ Sectionem duntaxat conſideravimus prout *Evacuatoria* eſt, atque ſolo hoc nomine plurium morborum, imprimis vero febrium, curationi ſervit; ſupereſt, ut pauca de iis accidentibus dicamus, in quibus ſanandis efficax deprehenditur Venæ Sectio, non tantum quatenus evacuatoria, ſed quatenus etiam Revulſionem atque Derivationem præſtat. Ex veterum medicorum ſcriptis apparet, eos non raro hoc artificio uſos eſſe in variorum morborum tractatione. Hippocrates anginæ curam tradens, ait: *Sic affectis à venis, quæ in brachiis ſunt, ſanguis detrahendus eſt; ſimulque alvus ſubducenda; ut, quod morbum exhibet, id avellatur* (*a*). Similiter Galenus de dolore capitis curando agens, revulſionem à capite in totum corpus laudat, atque inter alia revulſionis inſtrumenta, ſanguinis detractionem memorat (*b*). Plura alia veterum monumenta probant eos magnam quandoque collocaſſe ſpem in hiſce revulſionibus.

XXXII. Imprimis verò uſum habet V. S. hoc ſcopo celebrata, in omnibus morbis inflammatoriis, in quibus nimirum inflammatio ſingulari alicui parti inſidet: ut pleuritis, angina &c. Etenim reſolutio inflammationis, (quando nempe reducto in fluorem concreto & in motum ſtagnanti ſanguine, inflammatio ſolvitur) optatiſſimus illius exitus, non alio potentiori remedio tentatur. Nam 1°. per V. S. minutâ copiâ & impetu ſanguinis à tergo urgentis locum inflammatum, impeditur ulterior materiæ obſtruentis protruſio in anguſtias vaſorum convergentium, atque ejus conſolidatio & tenacitas major præcaventur: laxantur fibræ partis inflammatæ: mitigatur dolor & tenſio: Medicamentis diluentibus, attenuantibus locus

&

(*a*) De locis in Hom. cap. 2.
(*b*) Meth. Med. Lib. 1. c. 16.

& miſcela conceditur: priſtina vaſis obſtructis oſcillatio reſtituitur, fortius ſeſe contrahit arteria, & materiem obſtruentem repellit verſus latiorem locum: Retropulſa materies iterum pellitur in easdem anguſtias, ſicque hoc itu & reditu ad vaſorum latera & reliquas ſanguinis moleculas attrita, tandem reſolvitur & circulantibus humoribus miſcetur. Probat hoc, pulcherrimum Leeuwenhoekii obſervatum in veſpertilionis alâ (*a*). 2°. Si inflammatio errore loci facta ſit (nimirum ubi craſſiores moleculæ aliena vaſa ingreſſæ, eorum anguſtias tranare nequeunt) factâ copioſâ ſubitâque ſanguinis à loco affecto revulſione, fieri poteſt, ut materia obſtruens, renixu vaſorum minorum, in majora vaſa, jam minùs plena, protinus repellatur, ſicque uno fere momento omnis tollatur inflammatio. Neque enim requiritur ut obſtruens materia, retrogado hoc motu, longum emetiatur iter, priusquam latiores truncos offendat; ſiquidem Anatomicæ injectiones frequentiſſimas vaſorum minorum cum majoribus anaſtomoſes in exiguo fieri ſpatio demonſtrant.

XXXIII. Obſervata autem in morbis acutis inflammatoriis hanc rem abundè confirmant. In graviſſimâ pleuritide, ubi, præ immani cruciatu æger jamjam ſuffocandus, ſpiritum vix trahit, ex ſectâ brachii venâ dum ſanguis pleno rivo adhuc effluit, dolor ſæpe incipit minui: imo penitus ceſſat interdum, ſanguine inflammanti ex arteriarum anguſtiis verſus latiorem baſim retropulſo. Sic quoque peſſima ophthalmia, largâ miſſione ſanguinis ad animi prope deliquium inſtitutâ, protinus evaneſcere aliquando obſervatur; nimirum quod, ob ſubitam ſanguinis revulſionem depletis majoribus vaſis, globuli rubri, pellucida oculi vaſa ingreſſi, proprio illorum renixu iter relegere cogantur. Hanc minimorum vaſorum contractilitatem illuſtrant obvia phænomena: dum quis repentino percellitur timore, mox tota contrahitur facies, pallent labia, genæ, oculi &c. quæ pariter contingere ſolent poſt largam & ſubitam

(*a*) Experiment. p. 205. &c.

tam hæmorrhagiam, dum ſanguis ruber, contractis vaſis, verſus interiora repellitur.

XXXV. Verùm, ut optati hi eventus pro votis ſuccedant, debet larga atque ſubita, amploque vulnere inſtitui ſanguinis miſſio; parcâ enim duntaxat quantitate ſubductâ, non ſatis minuitur copia, nec adeo mutatur ſanguinis motûs determinatio: & niſi ſubitanea evacuatio fiat, non ſat debilitabitur vis cordis à tergo ſanguinem urgens. Robuſtus homo vix binas libras ſanguinis amittit per patulum vulnus pleno rivo effluentis, quin animo deficiat, cum triplam quantitatem, guttatim ſtillantem, perdere poſſit abſque animi deliquio: uti fit quandoque in hæmorrhagiis narium, vel in jugi ſanguinis ſtillicidio ex tenui arteriolâ, poſt dentis evulſionem. Hinc Galenus (*a*) ſubitam evacuationem & quidem ad animi deliquim usque (habitâ tamen virium ratione) commendat in *febribus ardentiſſimis, maximis inflammationibus & vehementiſſimis doloribus*. Abſtinendum tamen ab ulteriore evacuatione, ubi inſtantis deliquii ſigna manifeſta apparent, ne turpi errore, pro animi defectu, mors occupet: quod tribus medicis accidiſſe Galenus (*b*) refert. Signa autem lipothymiæ ſupervenientis hæc ſunt; pulsûs debilitas & vacillatio ſenſim creſcentes, levis vertigo, pallor oculos & labia invadens, ſanguinis effluentis minuta celeritas, nauſea & ſæpe vomitus.

XXXV. Quandoquidem inflammationes diverſis corporis partibus incumbere ſoleant, pro variâ autem ibidem poſitâ vaſorum diſtributione, diverſiſſimo ſcopo tentari debeat Revulſio atque Derivatio, delectûs loci, in quo V. S. fiat, hic imprimis ratio habenda erit; ut, à quâ parte ſanguinem cum fructu avocari, ad quam tutò eum copioſiùs oporteat dirigi, medicum non lateat.

XXXVI. In Phrenitide, immani morbo, miſſio ſanguinis ex pede, cum oppoſitâ quàm maximè à capite directione ſanguinem copioſiùs attrahat, ſicque à ſuperioribus potenter revellat,

(*a*) Comment. in Aph. 23. Sect. 1.
(*b*) De Cur. rat. per V. S. cap. 12.

vellat, pulchrum ſæpe ſucceſſum habet; & hæmorrhoïdum, quarum fluxus in hoc morbo haud raró utilis deprehenditur, defectum egregiè ſupplet.

Sectionem Venæ jugularis, ſive revulſionem ab encephalo præſtet, uti à Celeb. Freindio (*a*) ſatis demonſtratum opinor, ſive contra, ut aliis viſum eſt, derivationem efficiat, ſummæ hìc utilitatis eſſe evincunt plurima veterum medicorum teſtimonia, Recentiorumque quorundam, qui hoc remedii genus auſi ſunt tentare: Immeritò proin hoc tempore in deſuetudinem fere abiit, cum non alia evacuatio hæmorrhagiæ narium, hìc adeo proficuæ, vices aptius ſuppleat.

Veteres quoque in hoc affectu arterias pertundere non dubitabant; nec ſine ſummo mali levamine, cum & citiſſima inanitio & potentiſſima revulſio impetûs & copiæ ſanguinis hâc methòdo obtinerentur. Arteriotomiam apud Ægyptios in frequenti uſu eſſe refert Alpinus (*b*). Verum non facile reperias Chirurgum qui hoc in ſe muneris ſuſcipiat, licet commodè ſatis arteria temporalis ſecari poſſit, atque poſt eductum ſanguinem compreſſâ ad ſubjectam calvaria arteriâ, tutò conſolidari vulnus. (*c*)

Sunt & qui Raninarum Sectionem hìc plurimi faciunt. Sed, præterquàm quòd ſæpe hinc oriatur hæmorrhagia ægrè admodum compeſcenda, parum etiam urgenti neceſſitati hoc ſatisfaceret, cum lentè nimis propter exilitatem harum venarum efflueret ſanguis, dum tamen celerem & copioſam ejus evacuationem poſcit vehementiſſimi hujus mali genius.

Quæ dicta ſunt de V. S. uſu in curâ Phrenitidis, locum plus minus habere poſſunt in omni ægritudine, in quâ ſanguis majore copiâ & impetu verſus caput abripitur, atque ejus functiones quoquomodo lædit.

XXXVII. In gravibus faucium & aſperiæ arteriæ inflammationibus (Anginis dictis) poſt largam ſanguinis ex brachio vel pede

(*a*) Commentar. 2. de Febr.
(*b*) Medic. Ægypt. Lib. 2. cap. 12.
(*c*) Vid. Glaſſ. de Febr. Comm. 6. Freind. Hiſtor. Medic. p. 107.

pede eductionem, venas raninas (quæ hic ſæpe varicoſæ tument vulneri opportuniores) tundi præcipiunt ſummi Medici Hippocrates (*a*), Galenus (*b*), Sydenhamus (*c*), aliique; hancque regulam non ſine periculo inverti poſſe paſſim admonent, & obſervatis confirmant. Nimirum revulſio copioſa à parte affectâ, quam præſtat V. S. inbrachio aut pede inſtituta, præcedere debet derivationem ſanguinis verſus eandem, quæ, ſi modò conſulatur vaſorum ibidem diſtributio, ſectâ venâ raninâ apparet fieri. Quidquid autem huic methodo objiciat ſpecioſum & ſubtile ratiocinium, hoc certis experimentis (quorum potior habenda eſt ratio) fidem minime derogabit.

XXXVIII. Non temere eſt quod monet *Ægineta* (*d*), omittendam ſcilicet Venæ Sectionem in Peripneumoniâ ex alio morbo, uti ſæpe fit, oriundâ: præſertim, ſi primarius morbus in diuturnitatem excurrerit & in ejuſdem principio jam facta fuerit ſanguinis miſſio. Fractis enim diutinâ ægrotatione viribus, atque pauco jam per vaſa circulante ſanguine, imprudenti V. Sectione extingueretur debilis ille, qui remanet, brevis modò vitæ fomes. Hinc etiam ab eâ ſemper abſtinendum eſt, ſi extrema frigida, pulſus debilis, celer intermittenſque, ſpiritus tantum non intercluſus, doceant, pulmonem immeabili ſanguine infarctum, vix quidquam ſanguinis in vaſis moveri. Fruſtra enim ſanguinis in pulmone hærentis, obſtantibus retrogado ejus motui valvulis, revulſionem molietur ars. Matura igitur hic, in primo atrocis mali incurſu, requiruntur ſubſidia: & inprimis larga ſatis, ex amplo brachii vulnere, non tamen ad animi deliquium uſque (*e*) (quod optimè præcavet ægri decubitus) quin potius, ſi opus fuerit, repetenda, Venæ Sectio ordinem ducat; quâ liquidi per pulmones

(*a*) De Victu in Morb. Acut.
(*b*) De Cur. per V. S. c. 19.
(*c*) Sect. 6. cap. 7.
(*d*) Lib. 3. cap. 30.
(*e*) Aretæus de Cur. Morb. Ac. L. 2. c. 1. p. 94.

mones movendi minuitur moles, tollitur craſſior pars, diluentibus &c. locus conceditur. &c.

XXXIX. Quid porro de Pleuritide dicam? In eâ neceſſariam V. Sectionem omnes quidem uno ore clamant medici; attamen ingentem de delectu loci hìc movent controverſiam. Græci *è directo*, *ex adverſo* Arabes, & plures hinc atque hinc non incelebres utriusque ſcholæ ſectatores, venam ſecari oportere mordicùs contendunt. An, tanto molimine tamdiu agitatam litem, nîl niſi inficetas nugas haud injuriâ Cel. appellat Freindius, medico, Anatomiam edocto, prorſus indignas? Certè, ſi praxi ipſâ, quæ Theoriæ medicæ lapis lydius meritò ſtatui poteſt, & Clinicorum teſtimoniis dirimenda lis ſit, apparet in hoc affectu æquè feliciter ceſſiſſe V. Sectionem, dum hìc in affecto latere, alius in oppoſito eam inſtitueret; atque adeo non tam intereſſe videtur quâ parte, quàm quo tempore, quâ copiâ, quâque celeritate ſanguis educatur.

XL. Aſt omnes percurrere Inflammationis ſpecies, ſingulatimque oſtendere V. S. in quâlibet ſanandâ neceſſitatem, efficaciam, cautelas requiſitas &c. quemadmodum tædii plenum & infinitum fere, ita prorſus ſupervacaneum foret opus: Siquidem, quæ de ejus uſu in periculoſiſſimis & maxime inſignibus morbis inflammatoriis ſat fusè differuimus, levi operâ accomodari poterunt cæteris inflammationibus Diaphragma, Ventriculum, Inteſtina, Hepar, Lienem, Renes, Veſicam, Uterum &c. occupare ſolitis; in quibus omnibus, promptâ reſolutione diſcutiendis, ſanguinis miſſio præcipuum auxilium eſto, habito ſemper delectu partis in quâ Vena ſecetur, prout poſtulabit revulſionis & derivationis ſcopus.

XLI. Hactenus de V. S. uſu in morbis acutis cum febre. At non arctis adeo limitibus clauditur ejus efficacia, verum in omnes, quotquot fere ſunt, morbos acutos ſeſe diffundit. Atque 1°. in Apoplexiâ, inter acutos acutiſſimo morbo, inſignem V. S. utilitatem prædicant omnium ſæculorum Medici, hocque remedium ſolum ſæpe ſatis eſſe affirmat Hollerius. Veruntamen diſtinctione hìc opus eſt: & ut alias Apoplexiæ

 ſpe-

ſpecies (*a*) omittam, conſiderandum imprimis an *Pituitoſa*, an *Sanguinea* ſit Apoplexia. Illa, quæ adeſſe judicatur ſi æger fuerit conſtitutionis prævie laxæ, frigidis catarrhis obnoxius, ſi præceſſerint debilitas ſenſim aucta, ad animi corporisque functiones minor promptitudo, memoriæ imprimis læſio, vertigo, cruditates pituitoſæ, ſi ejus inſultum comitentur faciei pallor, ſomnus profundus, pulſus mollis, parvus &c. illa, inquam, Apoplexiæ ſpecies non temere V. S. tentanda eſt, cum hic, ſi aliàs, maximè verum ſit V. Sectionem, ni juvet, interficere. At in ſanguineâ, cujus præſentiam indicant plethorica ægri diſpoſitio, facies rubicundior cum totiûs corporis incaleſcentiâ, ſomnus non ita profundus nec ſtertor magnus, conſuetæ ſanguinis evacuationes ſuppreſſæ, vita lauta, ſedentaria &c.; omnis in larga V. S. ſpes collocanda eſt, quam ex jugularibus fieri jubet Boerhavius; nimirum ut citiſſima fiat ab encephalo verſus externas Capitis partes revulſio. Vid. XXXVI.

XLII. Sanguis liberali manu eductus ſumma medela eſt ſpasmodicis affectibus, & doloribus quibuſcunque. Vid. IX. *Doloris in Capite gratiâ ſanguinem detrahito*, inquit *Hipp.* (*b*) *Oculorum dolores* —— *aut Venæ Sectio, aut Medicamenti potio ſolvit.* Id. Aph. 31. Sect. 6. *Dolenti poſteriorem capitis partem vena recta in fronte ſecta prodeſt.* Aph. 69. Sect. 5. Quin & in colicâ Stomachali, aliis Medicamentis nequaquam levatâ largam repetitamque ſang. miſſ. ex utrâque manu profuiſſe ſcribit Lib. 5. Epid. In *fracturis*, *contuſionibus*, *luxationibus*, *vulneribus*, *magnis doloribus*, nullum V. S. potentius remedium inveniſſe ſe affirmat paſſim Galenus, niſi detritæ vires eam inhiberent.

Sanguinis ergo detractionem requirunt viſcerum morbi, nervorumque reſolutio & rigor & diſtenſio: quidquid denique fauces difficultate ſpiritus ſtrangulat, quidquid ſubito ſupprimit vocem; quisquis intolerabilis dolor eſt; & quacunque de cauſa ruptum aliquid intus atque colliſum eſt Celſi verba ſunt (*c*).

XLIII.

(*a*) Vid. Boerh. §. 1012.
(*b*) De locis in Hom. art. 102.
(*c*) Celſus Lib. 2. Cap. 10.

XLIII. Siquidem V. S. tenuiorum humorum reſorptum adjuvet (Vid. §. IX. 3.), & fluida in minoribus vaſculis ſive ſanguiferis, ſive ſeroſis, ſive denique in partibus fibroſo poroſis hærentia expedire apta ſit, mirum non eſt eam variis morbis remedio eſſe, qui illis inſident partibus, quas tenuia duntaxat liquida perfluunt, irrorantque. Hinc in Rheumatiſmo teſte Sydenhamo (*a*), in malo Iſchiatico auctore Hippocrate (*b*), Catarrhoſis affectibus &c. Sæpe proficua deprehenditur; potiſſimùm ſi protinus inter initia, antequam radices agat tenaciusque inhæreat perverſus humor, & quàm proximè partem affectam, inſtituatur.

XLIV. In hæmorrhagiis ſiſtendis, ut & affectibus quibuscunque ab inæquali humorum diſtributione ortis, V. S. efficax deprehenditur, utpote per quam ſanguis impetuoſiùs ad partem aliquam ruens, mutato itinere aliorſum evocatur. Hinc pertinaces narium hæmorrhagias, immodicos menſium fluxus, & quæcunque alia ſanguinis profluvia, hoc modo compeſcere norunt medici. Quin & abortus, ob nimium ſanguinis raptum verſus uterum, pertimeſcendus, venâ in brachio ſectâ ſæpe feliciter præcavetur; ſicut contrà evocato copioſiùs deorſum ſanguine per ſectionem venæ pedis, pertinaciter ſuppreſſi menſes haud raro proliciuntur.

Hippocrates de curâ hæmoptyſis agens, aſſerit conducere *à talibus, ſi ab initio curandos ſuſcipias, ut & Venæ de manibus ſanguinem emittant* (*c*). An non & in ipſâ Phthyſi, ab hæmoptoe oriundâ, ſua Venæ Sectioni laus? Aſt hoc altioris eſt indaginis?

XLV. Denique non tantùm refert qualis morbus ſit, qualis morbi ſtatus, quis virium modulus, ſed & quale ſit corpus, quale cælum, quæ ætas, quod tempus anni. Quàm profuſis olim evacuationibus citra virium detrimentum uti ſolebant Hipp. & Gal. quibus ferendis ſæculis hiſce, in his certè regio-

(*a*) Sect. 5. Cap. 5.
(*b*) De intern. affect. 162. de nat. hom. 70.
(*c*) Lib. 1. de Morb. §. 10.

gionibus pauci ſunt? An non Auſtrales populi Galli, Hiſpani, Itali &c. Sæpius V. S. indigent, copioſioremque eam perferunt, quàm noſtrates & plagarum ſeptentrionalium accolæ? An V. Sectioni ver aptiſſimum, eoque liberalius vacuari licet, parcius autumno, multò minus hieme, omnium autem minimum æſtate? Ita Gal. ſed variant hæc pro gentium varietate. Habitus corporis denſus, firmus, plenus, muſculoſus liberaliorem V. S. poſcit; parciorem, qui mollis eſt, & rarus, & obeſus & albus. Sed & ex venis rectius, quàm ex corporis habitu, hanc rem dijudicaveris.

Verum hiſce diutius immorari, utut latus pateat campus, vetat brevis inſtituti ratio. Si qua temere aut aliena vero in medium prolata ſint, ea novitio medico meliora probare & diſcere paratiſſimo, condonet, obſecro, benevolus lector.